

# GRADUALE ROMANUM,

Juxta Missale sacro-sancti

CONCILII TRIDENTINI

ET S. PII QUINTI

Pontificis maximi auctoritate  
editum.

*Cujus antiquus Ecclesie Cantus Gregorianus  
è puro fonte Romano elicitus  
accuratè notatur.*




PARISIIS,

Apud PETRUM HERISSANT, viâ novâ nostræ  
Dominæ, sub signo trium Virtutum.

---

M. D. C. XCVII.

CUM APPROBATIONE.



# AUTHORITAS

*antiqui Cantus Gregoriani.*



UM in Cantu Ecclesiastico & clericalis disciplinæ vigor, & Christianæ Religionis, sacrarumque functionum majestas maximè eluceat; summo semper studio Romani Pontifices, & aliarum Ecclesiarum Antistites curarunt, ut clerici à teneris annis canendi regulas ediscerent, dato eis magistro, qui primus esset informator literarum & primus edomator vocis. Ideo Romæ schola cantorum instituta fuit, cujus originem quidam Hilario Papæ alii Gregorio magno tribuunt; cui etiam debetur Ecclesiastici cantûs in meliorem formam instauratio. Licet enim ab initio Ecclesiæ usus canendi Romæ fuerit, nescimus tamen quales ante Gregorium fuerint Ecclesiasticæ modulationes, quæ canentium disciplina. Porro Cantus ab eo institutus ille est planus & unisonus, quem ab ipso Gregorianum nuncupamus, progrediens per certos limites & terminos tonorum, quos modos seu tropos vocant Musici & octonario numero definiunt, secundum naturalem generis diatonici disposi-

tionem. *Hæc refert Cardinalis Bona, de rebus Liturgicis, Epist. 119. Cap. 7.*

*Verum Cantus ille temporum injuriâ plurimum vitiatus est, teste sancto Bernardo, qui eundem sedulus divini cultûs æmulator, ætate suâ emendavit. Dignum siquidem est, inquit Tractatu de ratione Cantus, ut qui tenent Regulæ veritatem, habeant etiam rectam canendi scientiam, repudiatis eorum licentiis, qui similitudinem magis, quam naturam in Cantibus attendentes, cohærentia disjungunt, & conjungunt opposita. Ibi enim aut irregularis est progressio, aut progressionem reclamant compositio, aut compositionem dissolvit oppositio. Hæc omnia regularum perfectionem magis exterminantia quam determinantia.*

*Cum tamen nondum esset suis omnibus numeris absolutus, iterum circa Tridentini Concilii tempus restauratus est, detractis quibusdam redundantibus Notis, (quas etiamnum videre est in pluribus antiquis manu exaratis Exemplaribus) & syllabarum productarum & contractarum ratione habitâ, eo modo multis in locis prælis excusus est, præcipueque post recognitionem Breviarii ac Missalis Romani factam auctoritate sancti Pii quinti summi Pontificis, juxta Decretum Concilii. Sed cum ab eo*

## ANTIQUI CANTUS GREGORIANI. 5

*tempore, Editionum varietate & imperitiâ Correctorum, adhuc nonnulla in eum menda irrepserint, exquisitè correctâ sunt in hac Editione Gradualis Romani absolutâ Calendis Martii hujus anni 1697. Idque ita effectum est, ut collatis accuratioribus & castigatioribus codicibus sive editis sive manuscriptis insignium Ecclesiarum, quod in his Editionibus deesset illarum ope resarciretur, & quod in illis deficeret his suppleretur; quod autem in his & in illis excidisset, primævo nitore Cantûs Gregoriani redderetur, juxta normas artis canoræ ac manuscripta vetustissima & accuratissima.*

*Itaque summo studio Cantum hunc Gregorianum prosequi debemus, emulantes facta Patrum simul & sensus, qui & eum summâ Religione venerati sunt, & de eo piè admodum judicarunt Ita Joannes Ecclesiæ Romanæ Diaconus in vitâ sancti Gregorii Papæ, Lib. 2. Cap. 6. Gregorius in domo Domini, more sapientissimi Salomonis, propter musicæ compunctionem ducedinis, Antiphonarium centonem cantorum studiosissimus utiliter compilavit. Sigebertus in operibus sancti Gregorii, Tom. 1. Antiphonarium regulari musicâ modulatione centonizavit, & scholas cantorum in Romana Ecclesia constituit.*

*Sanctus Elredus, speculo charitatis, Lib. 2. Cap. 23.*

Modum cantandi Spiritus sanctus per organa sua, Augustinum videlicet, Ambrosium, maximèque Gregorium instituit.

---

## A P P R O B A T I O.

**N**os infra scripti, Henricus Du Mont Abbas Syliaci, & Petrus Robert Abbas sancti Petri Melodunensis, Christianissimi Regis Capellæ Musices Præfecti, notum certumque facimus Antiphonarium & Graduale Cantûs Ecclesiastici, operâ & studio Guillelmi Gabrielis Nivers ejusdem Capellæ Regis Organistæ, necnon Reginae Musices Præfecti, correctâ & concinnata, verè substantiam Cantûs Gregoriani decenter ac ritè modulatam omnino continere: In cujus rei fidem subscripsimus. Datum Parisiis ultima die Martii, anno gratiæ 1682.

H D U M O N T.

R O B E R T.

---

## C E N S U R A.

**N**otum certumque facio, Editionem hanc Parisiensem Gradualis Romani, me summâ curâ & operâ perlustrasse; quin accuratè omnino ad seriem expendisse; ipsumque præsens apographum undequaque esse cum archetypo suo consonum: In cujus rei fidem subscripsi, Lutetia Parisiorum, Calendis Martii, anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo.

N I V E R S, Christianissimi Regis  
Capellæ Musices Organistæ.



## OBSERVATIONES.

1. **C**antus Gregorianus, seu Plenus Ecclesiæ Cantus, plenè quidem & graviter canendus est, omnes æquali mensurâ trahendo Notas, voce naturali non violentâ; breves autem citiùs utpotè mediâ mensurâ. Itaque duo sunt tantummodo Notarum genera in omni Pleno-cantu, ex ipsarum figuris facilè dignoscenda.

2. Linea perpendicularis | sparsim in Cantu posita, denotat pausam halitus in Choro; minor | minorem.

3. Figura  $\text{L}$  sparsim in Cantu posita, confert ad omnes Notas in eodem loco seu spatio quo prædicta figura posita immediate: unica vero Nota immediate non impedit.

4. Punctum duas inter positum Notas, auget priorem, minuit posteriorem. Exempla reperies in Cantu Symboli, ac in quibusdam Hymnis.

5. Intonatio cujuscunque partis Officii fit usque ad majorem lineam seu pausam: ut sensus absolvatur Cantus.

6. Totus Ecclesiæ Cantus modulatur per octo Tones, sumpto nomine Toni genericè. Qui quidem Toni differunt duabus Notis cuique propriis & essentialibus, Dominanti scilicet & Finali. Dominans alicujus Toni est ea Nota quæ sæpius movetur in ordine ad Finale ipsius Toni: Finalis vero, per quam ipse Tonus finitur. Primus Tonus & secundus eandem Finale habent, sed ipsorum differentiam ap-

# 8 OBSERVATIONES.

riunt duo momenta, nimirum Dominantes & Extensiones: Dominans enim & Extensio primi Toni diriguntur in altum; Dominans autem & Extensio secundi deprimuntur. Idem dicendum de tertio & quarto, de quinto & sexto, de septimo & octavo; quorum Finales, Dominantes, & Extensiones dilucidè videntur in Demonstratione sequenti. Prima Nota designat Finale, secunda Dominantem, reliquæ demonstrant præcisè vel propemodum Extensionem.

The image displays eight musical staves, each representing a different tone. Each staff is divided into two parts by a double bar line. The first part shows the 'Finalis' (Final) note, and the second part shows the 'Dominans' (Dominant) and 'Extensiones' (Extensions) notes. The tones are labeled as follows:

- 1. Toni: Finalis C, Dominans G, Extensions D, E, F, A, B.
- 2. Toni: Finalis D, Dominans A, Extensions E, F, G, B, C.
- 3. Toni: Finalis E, Dominans B, Extensions C, D, F, G, A.
- 4. Toni: Finalis F, Dominans C, Extensions D, E, G, A, B.
- 5. Toni: Finalis G, Dominans D, Extensions E, F, A, B, C.
- 6. Toni: Finalis A, Dominans E, Extensions F, G, B, C, D.
- 7. Toni: Finalis B, Dominans F, Extensions G, A, C, D, E.
- 8. Toni: Finalis C, Dominans G, Extensions A, B, D, E, F.

7. In Transpositionibus aliquando Primus Tonus desinit in A. tunc autem ipsius Dominans est E. Secundus & Tertius in A. Dominantem habent in C. vel etiam desinunt in G. per  $\frac{1}{2}$  tunc autem Dominans est  $\frac{1}{2}$ . Quartus in A. Dominantem habet in D. Quintus & septimus in C. Dominantem obtinent in G. Sextus in C. Dominans ipsius est E. Octavus denique in F. ejus Dominans est  $\frac{1}{2}$ .

## OBSERVATIONES.

2

8. Præter Dominantem Toni, altera Dominans est admittenda, nempe Dominans Chori. Hæc autem est Nota, seu vox alta, quâ dicitur omne quod trahitur in directum, ut *Deus in adiutorium*, Lectiones, Epistolæ, Evangelia. Vulgò Dominans Chori assumitur in G. Organicum, vel in A. supra clavem F. His positis

9. Ad ritè canendum, attende priùs ad Dominantem Chori: deinde ipsius sono assimila Dominantem Toni Cantûs, de quo agitur, ut secundum illam incipias ipsum Cantum. Verbi gratia, occurrit Missa de Pontifice, *Statuit*, incipe ad Quintam inferiorem Dominantis. Consequenter ad incipiendum in Duplicibus *Kyrie eleison* quinti Toni, assimila Dominantem ejus *sol*, Dominanti *la* Introitûs primi Toni præcedentis. Et sic de cæteris Tonis. Sed non eadem Dominans, seu vox alta, servatur in omnibus Tonis: Dominantes enim secundi, tertii, & octavi, sunt aliis semi-tono altiores. Exempli causa, post primam Antiphonam Sanctissimi Sacramenti, *Sacerdos in æternum*, primi Toni, sub eodem sono ultimæ Notæ primam Notam incipies secundæ Antiphonæ *Miserator Dominus* secundi Toni, ut ejus Dominans occurrat in *♭*. Et sic de aliis. Si tamen deflectantur voces in uno Cantu, Dominantes attollantur in consequenti.

## RITUS.

10. Ad Asperisionem aquæ benediçta, Celebrans incipit Antiphonam *Asperges me*: Cantores dicunt *Domine*: Chorus prosequitur. Cantores Psalmum usque ad *Mediationem*, quæ notatur per lineam majorem: cæterum Psalmi



*Chorus absoluit. Cantores Gloria Patri, &c. Chorus Sicut erat, &c. Tunc resumunt Cantores Asperges me, Chorus prosequente.*


11. *Introitum Missæ Cantores incipiunt usque ad majorem lineam, Chorus prosequitur: Caterum observatur ut supra ad Antiphonam aquæ benedictæ. Sic intonant Cantores reliquas Missæ partes, prosequente Choro: Sed alternatim ex utraque parte Chori cantantur Kyrie eleison, Hymnus Angelicus, ac Sequentia.*

12. *Versum Gradualis duo Clerici, vel Cantores dicunt, quem ad ultimam lineam majorem Chorus absoluit.*

13. *Cantores incipiunt Alleluia usque ad majorem lineam: infra quam figura ij. posita notat bis, seu resurrectionem ejusdem cantûs Alleluia, faciendam à Choro, qui consequenter prosequitur tractum Notarum usque in finem. Cantores dicunt Versum usque ad ultimam lineam majorem, quem Chorus absoluit. Tunc resumunt Cantores Alleluia, cujus tractum Notarum prosequitur Chorus. Tempore Paschali, post primum Versum à Clericis, vel Cantoribus dicendum ut in Graduali, secundum Alleluia quod incipiunt Cantores non resumit Chorus, sed ipsius tractum Notarum prosequitur, ante & post Versum.*

14. *Post Septuagesimam, Cantores primum Versum Tractus incipiunt, Chorus prosequitur secundum Versum, & sic alternatim. Quando vero sunt impares Versus, ad ultimam ultimi Versûs lineam majorem, Chorus absoluit.*





I N D E X.

*Missarum votivarum quæ in hoc volumine  
continentur.*

<b>M</b> issa votiva de Sanctissima Trinitate.	lxiiij
Missa votiva de Spiritu sancto.	lxviij
Missa votiva de Sanctissimo Sacramento.	lxxj
Missa votiva de Sancta Cruce.	lxxv
Missa votiva de Passione Domini nostri Jesu Christi.	lxxx
Missa votiva de Sancta Maria, Tempore Adventus.	lxxxiv
Missa votiva de S. Maria, post Nativitatem Domini.	lxxxviij
Missa votiva de S. Maria, post Purificationem.	xcj
Missa votiva de S. Maria, Tempore Paschali.	xciiij
Missa votiva de S. Maria, post Pentecosten.	xciv
Missa votiva de Angelis.	xciv
Missa votiva Tempore Belli.	xcviiij
Missa votiva pro Pace.	xcix
Missa votiva pro quacunque necessitate.	cj
Exequiarum Ordo.	ciiij
Missa pro Defunctis.	civ

